Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM TERTIA

DE SUBJECTO VIRTUTUM MORALIUM.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinboths

Altenburgô - Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem Februarii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

JOHANNES REIMERS Prëetzâ Holsatus.

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,

Anno ƆIƆ IƆC XXXVI.

Cum Deo!

I.

POstquam *in lib. 1. Ethic. ad Nicom.* noster Aristoteles Summum Bonum tanquam ultimum rerum agendarum finem & καθάπερ τοξόταις, uti habet *l. 2. Eth. c. 1.* signū posuerat, illudq́;, in quo generalis ejus natura consisteret, explicarat, ad ea quæ specialiter Summum Bonum Practicum præcipuè concernebant in seqq. sese confert, ideoq́; de Virtutibus Moralibus etiam dicere aggreditur, & cum in disciplinis Practicis subjectum operationum semper præsupponendum & de eo, ὡς ἐν τύπῳ tamen, uti *in l. Categor.* habet, agendum erat, *in cap. ult.* etiam de subjecto operationis generali principii Politices i. e. Ethicæ verba facit.

2. Scilicet ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς, ait *l. 7. Pol. c. 4.* οἷον τῷ ὑφάντῃ καὶ ναυπηγῷ δεῖ τὴν ὕλην ὑπάρχειν ἐπιτηδείαν οὖσαν, πρὸς τὴν ἐργασίαν. οὕτω καὶ τῷ πολιτικῷ καὶ νομοθέτῃ δεῖ τὴν οἰκείαν ὕλην ὑπάρχειν ἐπιτηδείως ἔχουσιν. id est, *Ut cæteris artificibus puta textori & nautæ materiam aptam ad artificium subesse oportet; Sic gubernatori Reipubl. legumq́; positori propriè apteq́; se habens materia &c.*

3. *Quemadmodum enim oculum curaturus,* verba iterum sunt Aristot: *l. 1. Eth. c. ult. f. 108.* secundum Acciajol. *aliquam oculi cognitionem habere debet: Sic contemplandum Politico Subjectum, in quod introduci debent virtutes. Et ut Præstantissimi Medicorum in corporis humani cognitione plurimùm sunt occupati; Ita Ethicus quoq́;, qui animi notitiam profitetur, de anima debet esse sollicitus.*

4. Quod uti expresse asserit *Stagirita lib. 2. Eudem. cap. 1.* μετὰ ταῦτα περὶ ψυχῆς θεωρητέον ἡ γὰρ ἀρετὴ ψυχῆς, & *lib. 1. Magn.*

Moral. c. 5. Primum igitur de anima, in quâ Virtus exoritur, dicendum est, non quid sit anima (alia siquidem ejus rei consideratio) sed ut quodammodo distribuatur hîc uti ipse exposuit *l. 1. Eth. c. ult.* τούτων χάριν, καὶ ἐφ᾽ ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενον, quantum scilicet finis ac scopus postulat, notante Zabarella *lib. 2 de Natura Logicæ cap. 4.*

5. De SUBJECTO ergo VIRTUTUM hâc Exercitatione disputaturi & ex parte subjecti & ex parte prædicati prænotamus. 1. Nos non loqui de subjecto πρὸς κατηγορίαν ab Ammonio in Antepraedic. ita dicto, sed πρὸς ὕπαρξιν quod aliàs *subjectum Physicum, sustentationis, inhærentiæ sive existentiæ* & ab Aristot: *l. 7. Pol. c. 4* ὕλη à Zabarel. & aliis *subjectum operationis* vocatur.

6. Multò minus, 2 de subjecto, ex quo tanquàm tertio hæc disciplina mensurari debeat, uti quidem supra Disp. 1. ex Timplero audivimus, qui modum & rationem probè honesteq; vivendi ejusmodi subjectum autumat *q. 3. l. 1. c. 1. Ethicæ generalis.* Hoc enim vel nullum est in Ethicâ si propriè subjecti vocem acceperis, quæ scientiis hoc modo solùm competit; vel ipsum Summum Bonum, quomodo *Antonius Bernhardus Mirandulanus* potest excusari, qui Summum Bonum subjectum Politicæ statuit, *subjectum scilicet* (cum addito) *Metaphoricum*, uti Zabarella mavult loqui *lib. 1. de Natura Logicæ c. 13.*

7. Notandum 3 sermonem nobis hîc non esse *de Virtutibus Intellectualibus*, quæ sine dubio sunt in intellectu, uti habet *l. 2. Eth. c. 5.* quicquid etiam dicat *Clemens Timplerus l. 4. Technolog. probl. 5.* Sed *de Moralibus*, quarum subjectum operationis ultimum quodnam sit inter authores non convenit.

8. Socrates teste Aristotele *l. 6. Eth. c. ult. l. 1. Eudem. c. 5. & l. 1. Magn. Moral. c. 1.* virtutem Moralem scientiam & prudentiam definiebat & sic intellectum subjectum constituebat. Mens ejus clara ex Eudemiis l. c. ubi ita de eo loquitur Philosophus. *Socrates equidem ille senior finem vitæ putabat esse, cognoscere virtutem, & investigabat quid esset justitia, quid fortitudo & unaquæq; ejus pars.*

Idq;

Idq; meritò faciebat: censebat enim omnes virtutes scientias esse, ita ut simul obtingant, scire justitiam & justum esse: Nam simulac didicimus Geometriam & architectonicam, etiam architecti & Geometræ sumus. Quare investigabat, quid sit virtus non quomodo paretur.

9. Ad Socratem accessisse videtur *Plato l. 4. de Republ. Fortitudinem per rectam de terribilibus opinionem* definiens, cujus sententiam acritèr defendit *Franciscus Philelphus l. 5. disciplinæ Moralis*, qui quasdam rationes pro Platone in medium contra Aristotelem (quæ cum examinaverit *Hornejus l. 3. c. 1. f. 279* nos hîc missas facimus) affert, aitq; ab hac sententiâ Socratis *se nullas unquam Sophisticas Captiones abducturas.*

10. *Franciscus Piccolomineus in grad. 4. Moral. Philos. c. 8. ac seqq.* omnes virtutes morales in solo appetitu sensitivo collocat, qui insuper citat *Alcinoum in l. de doctrinâ Platonis c 31. & Theagen Pythagoræum* (quod etiam facit Arnisæus) cujus à *Stobæo* hæc referuntur *Serm. 1. Pars una animæ est ratio pars altera vis irascendi & concupiscendi, virtus animæ rationalis est Sapientia. irascendi fortitudo, concupiscendi Temperantia.* Defenduntq; hanc eandem sententiam *Eustratius in Comm. in fine cap. 1. Acciajolus l 5. Eth c. 1. & acutissimus & à me omni observantiâ prosequendus Henningus Arnisæus Philosophus & Medicus celeberrimus in aureis notis ad Logicam Crelli f. 30.*

11. Octo autem rationibus Piccolomineus *l. c.* suam propugnat sententiam, quarum prima hæc est. Materies & forma virtutis ad eandem pertinent animæ partem. At Materies virtutum est genus perturbationum, quod ad solum appetitum pertinet E. Major probatur. Non enim forma in alio recipitur quam in suâ materia. Minorem probat 1. quod virtutes non sint evulsiones sed moderationes perturbationum *ex l. 2. Eth. c. 5. habitus Morales sunt, quibus probè vel malè affecti sumus in perturbationibus veluti si irascimur.* 2 quia *in l. 2. Eth c. 3.* asseritur, *virtutes omnes in more positas in voluptate & dolore versari.*

12. Altera ex eodem *capite 3.* sumitur, ex quo tale nectit argumentum: *ad eam animæ partem pertinent virtutes morales & vitia, ad quam pertinent supplicia & pœnæ. At hæc ad appetitum sensu-*

 um per-

um pertinent. *Dolor enim ex supplicio consurgens, sensuum est, ut constat.*

13. Tertia *ex l. 6. Eth. c. 13.* petitur. Ad eam animæ partem pertinent virtutes & vitia, ad quam pertinent naturales mores, qui sunt viæ, semina & igniculi eorum. Atqui hi pertinent ad facultatem sentiendi. E.

14. Ex l. 7. Ethic. ita colligit 4. Ille habitus censeri debet virtus, quo præsente adest virtus, & quo absente abest. At præsente habitu sentientis facultatis adest virtus & homo dicitur temperans. E.

15. Quod etiam colligi potest. *5. inquit: proponendo Principia & modum, quo virtutum habitus acquiruntur: gignitur in nobis habitus moralis (ut sub initio secundi moralium Nicom asseritur) more & assuetudine: mos autem versatur in compositione perturbationum ad appetitum sensuum pertinentium: evadit homo temperans, dum coercet, ac ad medium congruens redigit commotiones cupiditatis: quare habitus quoq; virtutis moralis ad eundem appetitum pertinebit. Ideo rectè Plato monebat domandos esse equos, â quibus ducitur currus vitæ nostræ nam pro virtutis constitutione non sat est recta prudentiæ ratio, congruensq; voluntas, sed requiritur optima conformatio, internaquè tranquillitas nostrarum perturbationum, quod fit per habitum more acquisitum, qui moralis virtus nuncupatur. Ita cum Platone manifestè asserit Aristoteles fortitudinem attinere ad appetitum irascendi. Et lucidißimè in calce primi libri moralium Nicom. affirmat, ex duplici animi parte, quarum una ex se, altera per participationem & rationis compos, oriri duplex virtutis genus, quorum unum in cognitione & ratione: alterum in more positum est.*

16. Sextum fundamentum nectit ex causa ob quam egemus virtute. Si enim homo esset solus, hoc est, mens ejus esset sejuncta â sensibus non egeret virtute morali, ut eâ non egeat Intelligentia: sed quia sumus juncti cum corpore & cum appetitu sensuum per quem ad illecebras reddimur proni. Propterea domari, rectoq; habitu conformari in nobis debet pars sentiens & fera, ne quasi indomitus equus nos ducat præcipites. Confirmat idem *ex l. 7. Phys. tex.*

tex. 17. Ubi virtutem pulchritudini & sanitati dicit similem & t. 19. gigni in nobis moralem virtutum & abjici vitium cum aliquid in nobis alteratur, versariq; moralem virtutem in voluptatibus & doloribus. & in t. 20. tamen negat alterationes in parte intelligendi inveniri, pro quâ assertione citat insuper Simplicium.

17. Ultimò hæc verba Aristotelis *l. 1. Eth. c. ult.* inter se confert. Cum enim dixisset: *Facultatem sentiendi animæ esse participem rationis, quia rationi valet obtemperare, mentem verò sui natura esse rationis compotem*, addit. *Atq; ex hâc animi divisione ac differentia: virtutis quoq; distinctio, ac ratione positas esse dicimus, aliàs ad mores pertinere, quas Morales appellamus &c.* Apertè igitur Aristoteles affirmat (ita concludit *Piccol. f. 256*) virtutes morales ad appetitum sensuum pertinere.

18. Thomas in *1. 2. q. 56. a. 4.* quod idem ante eum Albertus *l. 3. dist. 32. a. 2.* asseruit, docet duas virtutes, Temperantiam nimirum & fortitudinem esse in appetitu sentiente, alteram in parte Irascibili; alteram in parte concupiscibili. In art. 6. autem excipit Justitiam & reliquas virtutes ad alteram spectantes, quas ad voluntatem refert. Probat priorem assertionis partem ex *lib. Eth. c. 10.* principio ubi postquam de fortitudine egerat; de *Temperantia*, inquit, *post hanc dicemus. Hæ namq; virtutes partium earum esse videntur, quæ sunt rationis expertes.* Ubi per partes rationis expertes judicio Thomæ intelligit irascibilem, concupiscibilem in appetitu sentiente. Idem etiam urget Gregorius de Valentia in Tom. 2. Disp. 5. q. 2. punct. 2.

19. Præcipuum Thomæ fundamentum est, quia Voluntas non indigeat virtutibus, benè tamen appetitus sensitivus. Voluntas enim suâ naturâ est satis propensa ad bonum rationis & ipsius operatio, nec in illâ sint passiones nec proclivitas ad malum. Appetitus verò est propensio ad sensibilia & ab illo manat tota difficultas quam in operando honestam experimur. Unde formalis effectus illarum virtutum est moderatio passionum, E. etiam sunt ubi passiones. Confirmatur & declaratur exemplo. Nam si quis insideat equo & illum rectè gubernet & regat, indiget tamen prudentiâ

dentiâ & arte non fræno. hoc enim indiget equus. Thomam sequuntur *Cajetanus in loc. Thomæ, Durandus l.3. dist.23 a. 3. Connimbricenses Disp. 8. Eth q 5. a. 2. qui citant Caprealum l. 3. dist. 33. Ferrariensem l. 1. contra gentes c. 92. Ægidium quodl. 4. q. 18. & Sotum lib. 3, de Just. & Jure q 2. a. 4.* Plura argumenta Thomistarum vide apud Gregorium de Valentiâ, Johannem de Radâ & Vatzquetz.

20. *Scotus deniquè l. 3. dist. 33. q. unica §. ad quæstionem, Riccardus ibid. a. 1. q 1. Bonaventura a. 1. q. 5. Heinricus quod l. 4. q. 22. Buridanus super c. ult. l. 1. Eth. Gabriel Byel. l. 3. dist. 33. q 1. a.1. ex Ockamo quod l. 4 q. 6. & 3. quodl. q. 13. l. 3. dist. 10. & 12. Vatzquetz & Rada* in appetitu rationali vel voluntate Virtutes Morales ponunt, qui tamen in eo dissentiunt quod quidam, licet Voluntati hoc præcipuè attribuant, tamen extrinsecâ denominatione etiam appetitum sensitivum affici ostendunt.

21. Gregorius de Valentiâ quidem *q. 2. punct. 2.* acutissimi Byelis sententiam â Scoto distinctam autumat, ita quod Byel existimaverit, & in Voluntate & in appetitu sensitivo habere veram rationem virtutis. Sed qui legerit id quod Byel *l. c. notab. 3.* habet, videbit ipsum & Scotum non dissentire: *Actuum virtuosorum,* inquit, *quidam sunt intrinseci, seu pro se ante primò virtuosi: quidam denominatione extrinseca: sic & habitus quidam sunt intrinsecè virtutes, qui sc: generantur ex primis actibus, alii sunt virtutes & virtuosi denominatione extrinsecâ, qui generantur ex actibus accidentalitèr virtuosis.* Et l. 3. dist 33 conclus. 3. a 4 dicit: *Breviter dicitur, quod virtus intrinsecè sit in solâ voluntate subjectivè (quia in potentiâ eâdem sunt actus & habitus ab eâ genitus. At in voluntate solâ) extrinsecâ autem denominatione esse potest in appetitu sensitivo similitèr in potentiâ executivâ. Inde ibidem addit, Virtutem in appetitu sensitivo non esse propriè sed quod possit dici Virtus aliquo modo quia inclinat ad ea, quæ sunt consona rectæ rationi & quia imperatur â Virtute Voluntatis.* Eadem habet *l. 3. dist 23 q. unic. in fine dub. 5.*

22. Horum sententiam & Aristoteli & veritati consonam judicamus. Nam quod 1. Socratem & ejus sequaces spectat, ipsum

psum ipse Aristoteles ll. cc. refellit. Etsi enim Stagirita concedat *l. 6. Eth.* virtutem conjunctam cum prudentiâ, eam tamen non habitum intellectivum sed appetitus facit *l. 2. Eth. c. 6.* & per habitum proæreticum definit. Inde etiam *l. 2. Polit. maximè requirit virtutem in principio imperante.*

23. Ad absurdum autem hanc sententiam deducit *& l. 1. Magn. Moral. c. 1. & l. 1. Eudem. c. 5.* Ibi dicit: *Quoniam virtutes scientias efficiebat: quod fieri nullo modo potest. Cunctæ siquidem scientiæ cum ratione: atqui ratio in solâ animæ parte gignitur, quâ cogitamus & ratiocinamur. Quocirca virtutes omnes in animæ parte rationali sint, necesse est, evenit itaq; ut qui virtutes scientias faciat, irrationalem animæ partem extinguat: quod faciens: affectum ac morem perimit. Quamobrem non rectè hac in parte disputationem de Virtute instituit.* Et paulò post *l. 1. Magn. Mor. c. 1. fol. 181.*

24. Hic verò; *Id quod in scientiis contemplativis usu venit, neq; enim aliud est astrologiæ, geometriæ, physiologiæq; officium, quàm ut naturam subjectarum rerum norint, & intelligant. Sed enim eas ipsas nihil obstat, ad res necessarias, multas, utiles nobis, frugiferasq; fieri: Verum alius est activis scientiis, alius cognitioni, contemplationiq; finis propositus, ut sanitas medicinæ, recta juris legumq; constitutio politicæ. Ergò cum rei quidem honestas cognoscere pulchrum sit, in virtutis tamen consideratione, non tam quid sit, quam è quibus petatur, cognoscendum est. Neq; enim scire quid sit fortitudo magnopere, sed fortes esse potiùs volumus, non scire justitiam sed justi esse; quemadmodum sani esse, beneq; habere, quam sanitatem, bonumq; habitum cognoscere.*

25. Quod etiam 2. Virtutes morales propriè & intrinsecè non sint in appetitu sensitivo sed in voluntate, constat tum ex Arist: *l. 2. Eth. c. 6. lib. 8. Eth. c. 13.* tum ex ratione. In priori enim loco virtutem dicit ἕξιν προαιρετικὴν. Atqui προαίρεσις ἐστι μετὰ λόγου *l. 3. Eth. c. 2.* ideò ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητικὴ i. e. vel appetitivus intellectus vel intellectivus appetitus *l. 6. Eth. c. 2. sub finem ferè.* In altero ostendit *virtutum & morum principium esse in praelectione.*

26. Dices; hoc probari tantum Electionem esse in solâ voluntate, non autem virtutem de quâ hîc loquimur. Verum utrumq; optimè probatur. ἕξις enim προαιρετικὴ est genus Virtutis, quod semper intrinsecè & essentialiter de suâ specie prædicatur. Quia igitur prælectio propriè intrinsecè & formaliter in solâ voluntate reperitur, etiam alibi virtutes inveniri hoc modo perabsurdum est.

27. Nec est ut hoc loco Cajetanus *1. 2. q. 56. a. 4.* contra Scotum cum quo haud obscurè Valentia & alius doctissimus vir. *l. 3. c. 2. n. 6.* facit, excipiat, Etsi appetitus non sit propriè & directè principium activum Electionis, tamen posse eum habitum electivum dici, 1. quia est actus subordinatus & conformis electioni voluntatis, qui proinde est etiam quædam electio passive & participativè. 2. Quoniam indirectè movet voluntatem ad electionem.

28. Nam Aristoteles habitum proæreticum propriè dictum formalitèr & per se talem sine dubio in definitione intellexit. Atqui habitus in appetitu sensitivo non est proæreticus propriè per se & formalitèr, uti constat ex thesi 25. E. Participativè electionem inesse facilè largior. Atqui participativè inesse, non est formalitèr & per se inesse, non alitèr ac etiam libertas ita inferioribus potentiis solet tribui, cum tamen formalitèr & per se tantummodò in voluntate sita sit, quod alibi ostendendum. Neq; ulla ratio consequentiæ est ab indirectâ motione & mediatâ ad actus elicici qualis est proæresis subjectum, uti per se patet.

29. Quod si tamen prædicti viri existimaverint habitum proæreticum ita esse sumendum, ut abstrahat à προαιρέσει intrinsecâ per essentiam, & ab eâ quæ est per participationem, ita ut possit virtus in eò subjectari, ubi vel primo modo sumpta προαιρέσις constituatur, vel altero modo explicata latitet, certè neq; Byelem benè pro hac sententiâ citant, neq; Scoto contradicant, neq; meo judicio id affirmant, quod tolerari potest.

30. Scotum enim & Byelem in hoc non pugnare §. 20. evicimus. Et ut hujus sententiæ authores videant, Byelem expressè ipsis contradicere, adducam locum ex *l. 3. sent. dist. 33. concl. 3. & 4.*

ubi

ubi hæc de habitu in appetitu ſenſitivo expreſſè habet, *quod ille habitus in appetitu ſenſitivo derelictus licet non ſit virtus propriè i. e. intrinſecè (quia non eſt habitus electivus nec inclinans ad electionem) poteſt tamen dici virtus aliquo modo per denominationem extrinſecam, quia inclinat ad ea, quæ ſunt conſona rectæ rationi & quia imperatur à Virtute Voluntatis.*

31. Ex quo loco duo deduco. 1. quod Byel idem quod Scotus ſentiat. Hic enim etiam improprium ſubjectum & quod per denominationem extrinſecam tale eſt, concedit, uti ex Johanne de Radâ fol. 430. manifeſtè apparet. 2. quod Byel habitum proæreticum, qui quidem eſt in definitione virtutis expreſſè habitibus appetitus ſenſitivi deneget. Atqui negatâ definitione negatur res ipſa, Inde *prop. 5. dub. 5.* argumentatur. *In eâdem potentiâ ſunt actus & habitus ex eâ genitus, Atqui in ſolâ voluntate eſt actus intrinſecè virtuoſus E. Min: probat art. 1. Coroll. 5. lit. K. & lit. L. ex multis locis Ockam, qui in ſolâ voluntate & lit. I. ex 2. Eth. c. 5. ad actum virtuoſum tria requirit. 1. quod eliciens actum operetur ſive non 2. cum electione 3. firmè & immobiliter.*

32. Quod ſi etiam adhuc quoddam effugium ſuper eſſet, certè ad habitum proœreticum abſtractè conſideratum deberent confugere in definitione; Atqui etiamſi concedatur libertas derivata, adhuc aliud obſtat, de quo paulò poſt, quo minus virtus derivata (ſi daretur) non poſſet eſſe vera virtus, quod latè perſequitur Vatzquetz c. 3. Præterea ejuſmodi habitus proæretius abſtractus à propriâ dicto & ſubordinato dari nequit. Hic enim eſt æquivocè talis, qui præter nudum nomen nihil rei participat. Atqui æquivocè ſumpta in definitione Ariſtoteles non potuit.

33. Neq; obſtant loca *l. 1. Eth. c. ult. l. 1. Magn. Moral. c. 5. l. 3. Eth. c. 10.* Concedamus n. appetitum ſenſitivum ſub ὀρεκτικῷ comprehendi, uti quidem videtur locus ſequens ſuadere: τὸ δ' ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως τὸ ὀρεκτικὸν, inquit, *illud autem quod concupiſcit & in univerſum quod appetit eatenus ratione participat, quat. obedit;* tamen à genere ad ſpeciem non valet conſequentia. Non enim, quia latrare eſt in cane, ideo etiam in homine.

34. Quo

34. Quo ipso etiam respondetur ad id, quod excipit Piccolomin. c. 11. ad 1. Prælectio enim 1. non perficitur in appetitu sensuum, hic enim propriè & formaliter non præeligit, neq; 2. virtus est habitus appetitus sensuum, per quem præeligimus; neq; 3 præeligere est sequi & perficere quod recta ratione decretum est, sæpè enim recta ratio optima præcipit, ut Voluntas tamen malit aliter, imo voluntas sæpè vult probatq; & ita præeligit aliquid, cui tamen executio repugnat, aliud enim præeligere aliud exequi prælecta; neq; 4. Incontinens dicendus est agere sine prælectione, quæ omnia absurda paucissimis lineis profert Piccolomineus.

35. Rationem nostræ conclusionis optimam assignavit Gabriel Vatzquetz *super 1. 2. D 87. c. 2. n. 6.*, quam cum multi pro suâ venditent, ne eodem vitio laborare videamur, verba bonâ fide citabimus: *Hâs*, inquit, *igitur unicâ ratione prima pars prædictæ opinionis mihi probabilior videtur, quia in eâ potentiâ non videtur collocandus habitus virtutis, quæ non potest ullo modo attingere actione suâ formalem rationem & finem in materiâ & objecto virtutis. nam cum habitus sit propter actionem propriam illius, ubi non potest esse actio, frustra esset habitus: actio autem esse non potest in eâ potentiâ, quæ circa formale objectum actionis operari nequit, quis hoc non videat? appetitus autem sentiens actione sua nullo modo attingere potest formalem rationem & finem in materiâ & subjecto virtutis: quoniam formalis ratio objecti, ad quem fertur affectus virtutis studiosus est honestas in materiâ & in ipsâ mediocritate objecti: diximus enim in disp. præcedenti cap. 4. ut aliqua actio sit virtutis, debere esse propter ipsam honestatem expresse: atqui appetitus sentiens non potest ferri in ipsam honestatem, sed solùm circa delectabile seu commodum operatur: ergo appetitus sentiens actione suâ non potest attingere formalem rationem, & finem in materia & objecto virtutis. Porrò autem licet appetitus obediat rationi & voluntati, tamen solùm ei obediri potest, ut feratur, aut non feratur in proprium suum objectum, non autem ut feratur in alienum: ergo nunquam obedit voluntati, ut appetat honestum sub ratione honesti, quod proprium formale objectum voluntatis, non ipsius appetitus.* Hactenus Vatzquetz.

36. Hinc

36. Hinc Ill. & Byelis & nostra sententia de habitibus in appetitu sensitivo collocatis perspicitur, quod quidem habitus ejusmodi minimè à nobis negentur in Temperantia imprimis. Hoc n. experientiam inverteret. Quando enim homo assiduè cohibet appetitum, neq; permittit, ut ipse pro lubitu irruat in delectabilia gustus & tactus, tunc quotidiè appetitus fit promptior, neq; alterum extremorum naturali etiam assuefactione appetit.

37. Idem de fortitudine habet Byel *lib. 3. dist. 23 prop. 4. dub. 1.* Postquam enim hoc argumentum, Omnis potentia, quæ post actus frequentatos potest in consimiles, requirit habitum inclinantẽ ad tales actus. Appetitus sensitivus est hujusmodi. E. proposuerat, Minorem his verbis probat: *Quia experimur quod post frequentes actus fortitudinis aliquis facilimè & cum delectatione aggreditur terribilia: ad quæ primò ante frequentiam actuum non nisi cum quodam timore & difficultate aggressus est. Nec videtur hîc sufficere corporis dispositio: quia etiam in corpore æqualiter disposito experimur majorem promptitudinem ad actus fortitudinis post frequentiam actuum quam antè. E. præter qualitatem corporalem (puta ascensionem sanguinis circa cor, quæ provocat ad iram) oportet ponere aliud inclinationum ad actus fortitudinis. Quoniam post frequentiam actuum etiam non irati inclinativum ad similes actus: hoc autem inclinativum nihil aliud est nisi habitus.*

38. Verum qui legit ea, quæ eruditè hâc de re disserit *Vatzquetz n. 9.* calculum Byelis expositioni vix poterit addere. Appetitus enim sensitivus formaliter talis dicitur ratione boni sensibilis, ex quo etiam actus ejus adæquati desumuntur. Atqui in fortitudine nihil occurrit, quod sit bonum sensibile. E. appetitus etiam sensitivus, neq; est subjectum impropriè dictum fortitudinis. Diversa enim est hujus ratio & Temperantiæ. In Temperantia enim invenit appetitus objectum sensibile, quod actione suâ etiam positivè sequitur, & ita promptus redditur ad ejusmodi actionem. At in Fortitudine appetitus positive voluntati deservire nequit in aggrediendis periculis. In his enim nihil delectabile, quod tanquam sensibile possit appetitum elicere, tanquam adæquatum obje-

ctum propriam potentiam. Delectabile enim lucri & gloriæ quod in periculis esse solet, non est sensibile sed intellectuale, & per consequens cum potentiam excedat, ad eam referri & appetitum movere nequit, multò minus actum vel habitum ibi constituere. Quod autem in ejusmodi actibus appetitus sequatur Voluntatem, licet dispositio vel Temperamentum non mutetur, id 1. difficile probatu esse autumo, & licet 2. satis posset demonstrari, existimo Intellectum efficaci honestorum consideratione sensum absorbere, ne terrorem periculorum efficaciter consideret. Nihil enim aliud superest Hûc fortè etiam respexit Fr. Suaretz l. c. n. 5. qui tamen obscure rem proponit.

39. In 1. Piccol argumento dubia est Minor apud authores. Augustinus enim *l. 14. de Civ. Dei c. 5. & 6.* gaudium tristitiam, amorem timorem &c. in voluntate ponere videtur, quem *Scotus* sequitur l. 3. dist. 26. & 34 Hunc vero Gabriel Byel 16. *Appetitus,* inquit, *dividitur in irascibilem & concupiscibilem. Quod non solùm verum est de appetitu sensitivo, sed etiam de appetitu intellectivo. Et licet variè de hoc loquantur, sequor tamen nunc doct. subtilem qui clarius & fundamentalius de hâc materiâ loquitur.*

40. Quia tamen alibi hâc de re ex professo agemus ideo hoc loco quod adhuc in controversiâ est Piccolomineo reponere nolumus. Respondemus tamen negando quod affectus sint materia virtutis. Nam ut hoc loco non attingam, quod communis fere sententia sit, accidentia non habere materiam proprie dictam, id tantùm hoc loco urgeo, affectus esse materiam proprie dictam, sunt quidem materia circa quam i. e. objectum quod causalitatem materiæ minime exercere potest, nisi quatenus movet voluntatem Suaretz *D. 15. s. 3. n. 16.* Neq; aliquid efficiunt loca adducta. Moderationes enim affectuum concedimus, sed exinde materiam proprie dictam concludere velle, absonum est. Aliter Aristoteles ib. loquitur, ut ad ravim περὶ τὰ ἤθη καὶ πράξεις virtutes esse asserat. Videatur c. 3. t. 2 l. 2 Eth (secundum Riccob.) & passim ubi non dicit virtutem ἐν ἡδονῇ esse sed περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας §.1.C.1.§ 2. περὶ πράξεις καὶ πάθη.

41. Quod

41. Quod si Piccolomineus materiei vocem latius sumpsisset, pro objecto, Major negatur. Objectum enim visionis est color & lux *l. 2. de animâ t. 66.* Visio tamen, quæ circa hæc versatur, non est in hoc subjective intrinsece, sed tantum extrinsece. Ita etiam ipsa ratio moderatur affectus, hos tamen in Intellectu velle poni & nobis & Piccolomineo est absurdum. Ita etiam Voluntas moderari solet passiones, uti bene observavit Nicolaus Dorbel. 1. *referendo illam delectationem ad finem consonum rectæ rationi. 2. Imperando prosecutionem & fugam. 3. derelinquendo aliquem habitum in appetitu sensitivo inclinantem ad ea, quæ sunt consona rationi.*

42. Licet enim in actionibus immanentibus Rationalibus imprimis (de sensitivis enim dubitant *Connimbricenses l. 1. de Gen. & Cor. c. 4. a. 3. ad 2.*) objectum & subjectum concurrant, tamen objectum semper proximum & immediatum actus ibi recipitur non autem remotius. Atqui voluptas & dolor objectum sunt remotum, de quo Aristotelem *l. 2. Ethic.* concedimus egisse, proximum autem Virtutis sunt actus illi, ex quibus formaliter virtus sequitur, de quo § 35. ex Gabriele Iesuita.

43. In 2. §. 12. committit 1. Ignorantiam Elenchi. Non enim disputatur inter Scotū & Piccol an Virtus pertineat ad appetitum sensuum, Ambigua hæc phrasis est & Scoti explicationi non incommodat, ipse enim facilè concedere potest Virtutes morales pertinere ad appetitum, moderando scilicet ejus passiones, uti ex Dorbell. §. 41. audivimus, sed non ut insint subjectivè. Inde etiam rectè *Johannes de Rada* observavit, quomodocunq; affectuum moderatio concipiatur in ratione virtutis, nunquam voluntatem posse excludi.

44. Hinc 2. Major non conceditur, quod ad eam partem virtutes & vitia subjectivè pertineant, ad quam spectant supplicia, Mœchus enim licet capitis supplicio afficiatur & Scholasticus nescio quâ parte corporis sæpè pœnas luat, tamen in quo pœnæ exercentur, id sæpè minimam culpam attulit. Certam tantum, facultatem ob delictum aliquod puniri itidem falsum est, totus enim homo ob virtutis cultum vel neglectum præmio ornatur vel pœnas dare cogitur.

45. Pos-

45. Posset quis etiam 3. dubitare de Minore, anne dolor imprimis, de quo h. l. Aristoteli sermo est ad appetitum sentientem possit referri. Certè sicut videtur de illa voluptate loqui, quæ omnem actionem virtutis consequitur, ut expressè §. 2. loquitur, quæ certè non animi sentientis est, uti latè probat *Vatzquetz l. c. D. 14. c. 3. n. 15.* & ex Aristotele confirmat *Burlæus in Comm.* neq; potest esse in Justitiâ; ita dolor etiam sine dubio in ipsâ Voluntate exortus ab Aristotele hîc intelligitur.

46. Textus ergò Aristotelis non patrocinatur Piccolomineo, quomodocunq; etiam ex hoc argumentetur. Quomodo autem hic textus debeat intelligi, hoc loco nostram mentem, ut & in aliis propter theses, quarum ratio, ne excrescant, semper habenda, non possumus exponere. Licet enim vulgò hoc caput de materiâ Virtutum Moralium intelligant *cum Giphanio, Riccobono & mille aliis*, Nos tamen non solum initium hujus capitis ut & seqq. ad tertiam partem hujus libri referimus, in quâ signa virtuosarum actionum proponuntur, ut nobis CIRCA non objectum sed finem supervenientem notet, quod vocula PROPTER videtur exponere. Videatur Guilielmus Burlæus f. 23.

47. In 3. nego Minorem. Cur enim hi habitus naturales non possunt esse in voluntate. Non existimandum est, quasi Arist. propriè dictos habitus actu à naturâ innatos intelligat, hos enim refutat *l. 3. de animâ c. 4. t. 14;* sed intelliguntur naturales inclinationes (ita enim φυσικὸν reddendum infra de jure naturæ videbimus) quas voluntati denegandas quis existimabit?

48. Nec juvat Piccol. quod dicat habitus hos vocari sine mente. Atqui inclinationes naturales, quæ sunt in Voluntate non sunt sine mente. E. h. l. ejusmodi inclinationes non possunt intelligi, sed quæ sunt in appetitu sensitivo. Videatur Magirus *in Comm. f. 632.* & Golius *f. 247.*

49. Nam quod ita simpliciter sine Sensu non debeat sumi, illud perspicuũ reddit, quod pueris hos habitus tribuat, quibus mentem si adimere volueris, homines bestias cõstitues. Sine mente itaq; insunt, quatenus sine sensu mentis i. e. sine prudentiâ pueris insunt,

sive

ſive ut Dorbellis loquitur, *modo irrationali in quo* (verba cito feliciſſimi expoſitoris Dorbellis) *communicant nobiſcum pueri & beſtiæ ſecundum quandam ſimilitudinem ſicut Leo naturaliter fortis eſt & liberalis. Tales autem habitus exiſtentes ſine ratione videntur eſſe nocivi. Sicut namq; corpus aliquod carens viſu, puta homo cœcus ſi moveatur, velocius, fortius læditur: Sic ſi aliquis habens fortem inclinationem ad opus virtutis, & non adhibeat diſcretionem rationis, accidit ei gravis læſio, ut ſi homo fortis ſine ratione expectaret quæcunq; terribilia, de facili mortaliter læderetur.*

49. Ex quo etiam ſtatim apparet Atiſtotelem tantum per ſimilitudinem beſtiis attribuere, ex quâ ſimilitudine ad ſubjectum proprium propriè dictarum virtutum, nulla eſt conſequentia. quomodo etiam 2. negatur Major. Ita JCti Ulpianum *l. 1. ff. d. Juſt. & Jure.* excuſant, jus naturæ brutis ideò attribuiſſe, quod quædam ſimulachia juris, uti *Cicero l. 2. de Fin.* loquitur, inveniantur, ex quibus tamen rectè negant poſſe colligi jus naturæ propriè loquendo in bruta cadere. Videatur Giphanius in Comm. Inſtit. Vultejus, Riemer & alii.

50. In 4. Negatur Minor, neq; ad rem eſt probatio, quæ ſententiam Piccolominei potius deſtruit, Negat n. Philoſophus ideò continentem temperantem, quod ſine electione agat. E. etiamſi in Continente eſſent omnia ad habitum appetitus ſentientis requiſita, ſi non prælectio, quæ eſt in voluntate accederet, virtus exinde minimè ſequeretur.

51. Quod virtus componat 5. perturbationes ac ad medium congruens redigat commotiones, ambabus largimur manibus. Verum ex hoc non ſequitur, quod intendit, imò potius noſtra ſententia firmè ſtabilitur. Exiſtentes enim paſſiones vel minuit, vel ad finem, qui eſt conformis dictamini rationis dirigit. Utroq; modo immediate voluntas incurrit. Quia enim potentia ſenſitiva fertur in objectum præſens ſecundum totam virtutem & conatum, neceſſe eſt ut occurrat Voluntas, quæ minuat paſſiones ne ſint immoderatæ, quæ imminutio non poteſt eſſe in appetitu, ſed in voluntate quæ libere agit. Sic etiam appetitus non poteſt dirigere

passiones ad finem, honestatem sc: hanc enim formaliter attingere posse ipsi impossibile est.

52. In lib. 7. Eth. t. 17. virtutes cum pulchritudine, robore &c. in eo comparat, quod non sint alterationes *sed dispositiones ad optimum.* Atqui quâ veritatis specie colligitur, quia pulchritudo, robur in corpore existit. E. Virtus in appetitu sensitivo. Confirmatio certe nihil facit ad Piccolominei sententiam, Licet enim t. 19. gignatur eo ipso quo aliquid in nobis alteretur, non certe ex eo sequitur, quod cum alteratio non sit in mente (non urgebo, quod hanc subjectum non faciamus) ibi statim virtus subjective ponenda sit, ubi alteratio oritur. Ita enim corpus subjectum virtutum Piccolomineus efficeret, in quo quod alterationes virtutem præcedentes hanc nemini potest esse dubium. Inde etiamsi pressius urgere potuisset, quod t. 20. dicatur, quđ αἱ λυπαὶ καὶ αἱ ἡδοναὶ sint ἀλλοιώσεις τοῦ αἰσθητικοῦ. Tamen hoc non formaliter sed causaliter intelligi debere Peripatetici notant. Aliàs voluptatem motum negat *l. 10. Eth. c. 3.* qui in alteratione tamen essentialiter includitur.

53. Ad ultimum respondet *Thomas 1 2. q 56. a. 6. ad 2. Byel l. 3. dist. 33. q. un. ante 5. propositionem Suaretz l. c. n. 13.* negando partem non rationalem esse appetitum sensitivum. Nam quod Aristoteles etiam voluntatem sub hac irrationali parte comprehendat, ne videamur extra Aristotelem quicquam divinare *locus ex l. 7. Pol. c. 15.* manifestissime docere & nostram expositionem confirmare potest: *Quemadmodum anima & corpus duo sunt, ita quoq; videmus duas esse animæ partes, unam irrationalem, alteram quæ habet rationem: habitus quoq; eorum duos quorum alter est appetitio, alter mens. Ut autem corpus in generatione antecedit animam: sic pars irrationalis antecedit eam partem, quæ habet rationem. Patet id in pueris, quibus statim ira & Voluntas & concupiscentia existit. at ratio & mens procedente ætate in illis fieri nata sunt.* Ex quo loco, qui non Philosophum voluntatem sub parte irrationali comprehendisse, animadvertit, illum verba expresse posita non perpendere affirmo.

54. Et

54. Et quamvis forte quis posset existimare, Aristotelem *in c. ult. l. 2. Eth.* generaliter locutum fuisse de appetitu, quando dicit: *Illud autem quod concupiscit & in universum, quod appetit, eatenus ratione participat, quatenus obedit;* tamen *ex l. 6. Eth c. 2.* omnis subterfugii rima potest occludi. Postquam enim in c.2 duo mentis & intellectus officia explicuerat, Theoreticum sc: & Practicum, Ostendit ib. utraq; esse principia Intellectualium Virtutum; sensum verò utpote bestiis communem non posse esse principium actionis & virtutum Moralium, licet in horum numero bene possit esse ὄρεξις, cujus duo, quemadmodum Intellectus affirmatio & negatio sunt actus, prosecutio scil: & fuga. Cui ergò ampliùs dubium esse potest, Aristotelem rationalem appetitum, specialiter intellexisse, hunc enim 1. sensui contradistinguit & rationi sive Intellectu. 2. Ideo à virtutibus removet sensum, quod brutis comperat. Si igitur Aristotelis argumentum verum est hoc loco, appetitum etiam sensitivum à subjecto adæquato & proprio virtutum hîc excludet, quod facit etiam *in l. 1. Eth. c. ult.* ubi ideo vegetativam animam negat capacem esse ut inibi virtus appareat.

55. 55. Neq; juvat Piccolomineum *c. 1. l. 1. M. M.* quod citat grad. c. c. 9. fol. 287. quando ita dicit: *Quo loco damnat Socratem dicentem virtutes esse scientias. Nam si scientiæ essent, pertinerent ad mentem, quod judicat absurdum, & Platonem commendat, quia rectè divisit animam in partem rationis compotem & expertem, ac unicuiq; propriam virtutem condonavit. Insuper l. 3. de anima t. 41. luce clarius suam sententiam patefaciens (vim sentiendi, inquit, nec rationis expertem nec compotem quis facilè ponet) judicat eam mediare, cum sit nata obtemperare rationi.* Nam hoc ipso nostra sententia exponitur. Absit enim ut statuamus Virtutes Morales vel esse in intellectu Theoretico vel practico quod ad minimum voluit Socrates, sed in appetitu, qui neq; est sensus neq; mens i. e. in voluntate. Statim enim addit Aristotel. quidnam per λογιστικὸν intelligat, non id quodcunq; pertinet ad animam rationalem, sed quod est ἐν τῷ διανοητικῷ τῆς ψυχῆς Est autem διάνοια notante *Scaligero Exertit. 307*

 sect.

sect. 21. ex lib. 3. de animâ mentis agitatio, quâ plures notiones apprehensæ & complicatæ, ab una ad aliam deducuntur.

56. Et quid opus est verbis? Omnem exceptionem fugit *locus ex l. 2. Eudemiorum c. 1. f. 215.* qui ita habet: *Verum quia virtus animæ est de hâc considerandum erit. Sunt animæ duæ partes, quarum utraq; ratione participat, sed non eodem modo, altera enim τῷ ἐπιτάττειν imperando; altera τῷ πείθεσθαι καὶ ἀκούειν πεφυκέναι obtemperando & audiendo.* Et paulò post: *Itaq; si quædam pars animæ præterea afferatur, omittatur tanquam φυσικὸν μέρος. Humanæ namq; animæ hæ partes propriæ sunt, quocirca nec nutrix nec ὀρεκτική, i. e. concupiscibilis facultas (generaliter sc: sumpta) existimari hominis propria debet. Ex naturæ enim humanæ conditione necessum est rationem ac rerum agendarum principium, (quod mihi videtur esse Electio) tum operandi potentiam (id est virtutũ habitum) inesse.*

57. Quod autem à Piccol. *l. in §. 55.* cit. asseritur, Platonem ab Aristotele laudari, quod recte animam in partem rationalem & rationis expertem diviserit, suo ingenio abundat Piccol. Ex Exotericis enim desumptam *l. 1. Eth. c. ult.* asserit & *l. 1. Magn. M. c. 5.* ὡς ἐν τύπῳ divisionem assignatam inculcat, ut Piccartus *in Comm. ad c. 10. l. 7. Pol.* jure *hanc divisionem* ἐξωτερικὴν *asserat, id est non satis accuratam, quæ ad Pythagoram refertur.* Non existimamus itaq; adeò hospitem fuisse Piccolomineum in Peripateticâ doctrinâ, ut nesciverit quid Exotericum esset, cum id ipsum facilè ex Agellio *l. 10. c. 4.* Noct. Attic. Plutarcho in Alexandro, Clemente l. 6. Stromatων & Cic *l. 2 de Fin.* imo *c. 8. l. 1. Eudem.* haurire potuisset, quod etiam τὸ ὡς ἐν τύπῳ innuit, quod ut plurimùm tunc solet adduci, quando Philosophus ex alterius mente loquitur. Platonis itaq; divisionem retinet, utpote quæ ad ipsius institutum sufficiebat (*inde l. 2. Eudem. c. 1. f. 256* dicit. Si quæ pars animæ preterea adscribitur omittatur tanquam μέρος naturale) alias tamen in loco proprio *l. 3. de animâ f. 40. & seqq.* ex professo illam refutat.

58. Miror itaq; Piccol. *t. 41. l. 3.* de animâ citasse, qui luce clarior est, ut ex inde Piccolom. sententia refutetur. Non enim propo-

proponit hoc textu hanc divisionem, sed Platonem rursus repræhendit, ut ait Philoponus Com. in h. l. quod idem sentiunt Averroes & Themistius nec non Augustinus Niphus Suessanus qui & prolixe & manifeste jam olim hoc demonstravit.

59. Ad locum quem Thomas citat, & ex eo sententiam nostram arietare conatur, l. 3. Eth. c. 10. alii aliter respondent. Johannes de Radâ ex Scoto, quem sequitur Richardus vult Aristotelem non loqui de virtute propriè dicta, sed de minus propriâ, quia sc: quædam inclinationes ibi inveniuntur & impressiones, quæ tamen laude minime dignæ sunt.

60. Aliter hoc solvit Vatzquetz l. c. n. 10. dicit enim, quando Aristoteles dixit, δοκοῦσι γὰρ τῶν ἀλόγων μερῶν αὗται εἶναι αἱ ἀρεταὶ, ipsum non loco voluisse de subjecto agere, sed esse earum quæ sunt rationis expertium non quidem alia ratione nisi quia circa moderandas earum passiones præcipue versantur. Quo nî fallor etiam respexit Averroës in Paraphrasi: *Et nos quidem determinabimus posthac de Temperantia: videntur enim ambæ hæ virtutes esse quidem partibus animæ irrationalibus.* Quemadmodum autem ex eo, quod scientia Universalium, sensus sensibilium, actio singularium dicitur, subjectum inhæsionis scientiæ non fiunt universalia &c. ita etiam ex mente Vatzquetz N. C. esset: Temperantia & Fortitudo sunt partum irrationalium E, insunt tanquam in subjecto, præsertim quod si hoc Aristoteli fuisset propositum non debuisset tantum hoc de Fortitudine asserere & temperantiâ sed & aliis omnibus. Quod idem etiam videtur ex sequentibus manifestum, ubi totam disputationem ad objectum transfert.

61. Quamvis autem, etiamsi hanc nervosam explicationem admittamus, nostræ sententiæ nihil decedat; attamen cum nobis non desint quædam, quæ contra Vatzquetz urgere possemus, ideò hâc vice malumus id repetere, de quo modo diximus, à partibus irrationalibus ad appetitum sensitivum apud Aristotelem nullam esse consequentiam.

62. Argumentum Thomæ recte solvit Suaretz Voluntatem scilicet non ita esse propensam naturâ suâ ad bona honesta & pro-

pria, quin illa inclinatio possit habitu perfici, quia in exercitio multæ sunt difficultates, uti etiam per experientiam constat. Verum quia præter *Franc. Suaretz Hornejus* hæc late persequitur, ideo in eo prolixiores etiam esse nolumus. Videatur etiam Johannes de Radâ.

63. In exemplo de equo est dissimilitudo. Voluntas enim non solùm gubernat appetitum, qui movetur ad objecta, sed etiam ipsamet movetur & fertur ad eadem, ad quæ fertnr appetitus, unde etiam quasi insidet & se gubernat, & fræno indiget.

Corollarium.

I.

CRux est Interpretum locus l. 4. Metaph. à nobis in Disp. 1. th. 15. citatus cujus non eadem sunt authorum explicationes. Alexander Aphrodisæus *existimat hæc verba alio posita & proinde conjungenda esse cum illis verbis in fine: Quare Entis quoq; quot species sunt & species specierum speculari unius scientiæ genere est: Totq; sunt partes Philosophiæ quot sunt substantiæ. Sensus igitur est Entis quà Ens considerationem pertinere ad scientiam generalem species verò Entis contemplari debere species scientiarum & alias Philosophiæ partes, partes verò tot esse, quod sunt substantiæ, quæ Entis naturam κυρίως referant, vel uti loquitur Suaretz. genus Entis scibilis ut sic pertinere ad genus scientiæ; varias autem species scibilium ad varias species scientiarum &c.*

2. Thomas, Albertus, Averroes & Scaynus *per Philosophiam hoc loco primam intelligunt sive Metaphysicam, quæ sæpè Aristoteli dicitur* κατ' ἐξοχὴν φιλοσοφία *l. 4. Met t. 5.* φιλοσοφία πρώτη *l. 3. de C. t. 2. l. 1. de Ort. & Int. t. 14. l. 6. Met. t. 6 l. de animalium motu c. 6. l. 1. Phys. t. 83. & l. 2. Phys t. 26. Postquam enim, inquiunt, Aristoteles docuisset; Ens immediatè descendere in sua significata, cum sit vocabulum ab uno, docuit postea ad unam scientiam pertinere de Ente agere & omnibus iis de quibus Ens dicitur. Cumq; scientia talis vocabulorum ab uno tractet primò & præcipuè id quod est primum in eo genere,*

nere. Substantia verò sit illud primum, ejusq; sint plures species, hinc Arist: consequenter dividit scientiam hanc in partes suas pro diversa substantiarum ratione, quarum una quæ est prima versatur in contemplatione sensilis substantiæ, secunda pars circa Entia Mathematica, magnitudines videlicet & numeros quæ omnia apud veteres substantiarum nomine veniebant. Tertia verò atq; postrema pars hujus scientiæ de substantia immobili & ab omni materia separata agit, à qua omnes scientiæ dependent, & ad quam demum reducantur. Hæc Averroes.

3. Huc spectant Scayni verba in Comm. h. l. qui tres partes πραγματείᾳ Metaphysicorum librorum tribuit & primæ parti assignat tractationem de substantia sensili tàm caduca quam æterna in lib. 7. 8. & 9. comprehensam. Alteri parti substantiam immobilem & æternam hoc est magnitudines Mathematicas, numeros est ideas de quibus l. 10. 13. 14. agere dicit. Ultimæ verò parti substantiam penitus immobilem & immaterialem l. 11. & 12. Metaphys. expositam.

4. Felix Accorombonius etiam autumat Metaphysices partes hoc loco proponi cujus rei indicium ex eo sumit quod aliàs Mathematicarum disciplinarum & imprimis Astrologiæ mentio fuisset facienda. Hanc enim in partium Philosophicarum numero contineri ex l. 6. Met. c. 1. satis liquere putat.

5. Aliter Cæsalpinus lib. 1. quæst. Peripateticarum q. 3. p. 9. hunc locum explicat qui Philosophiæ hoc loco partes enumerari recte evincit, species autem pro affectionibus positas judicat. Quam expositionem reliquis omnibus præferimus & ad mentem Aristotelis propius accedere arbitramur. Fonseca quidem periculum fecit in examinanda sententia §. 2. proposita, sed an cum successu id fecerit merito dubitatur. Nos In actu Disputationis quid veritati & Aristotoli maximè conforme judicemus, explicabimus.

Præstantiss: & Literatiss:

Dn: Respondenti

Amico suo dilectissimo.

SEdula cura suos comperta est semper honores
promere, ceu tellus gramina ferre solet.
Sedula præclaros, REIMERE, videbit honores
Si modo sic pergas pergere, cura tua.

ita gratulatur

M. JOH. Reinboth
Præses.

AUgiæ stabulum fœdis â sordibus olim
Dicitur HERCULEUS purificasse LABOR.
Humanam mentem vitiis â turpibus æquè
Fertur ARISTOTELIS purificare LIBER.
Nemo PRIUS dubitat: de POSTERIORE sed aptè
Quæritur, id vero tu ratione probas.
Dum sub Aristotelis, te, defensore Magistro,
Objicis adversis tam bene fulminibus.
Laudo tuum factum! precor, ut te nulla lacessant
Tela, quibus nequeas opposuisse manum.

Amicorum ocello
f.
Theodorus Möllman *Hols.*
SS. Theol: Stud.